

AB

41 $\frac{22}{21}$



80

Alfr

Ex Donatione Melchioris
a Welten Capitani
in Calda et Dreiloben.
Mayn Diocesis & Norw: do lvi
Crisit Caspari a Kamrothk

Qui Christum bene fecit, bene cedunt singula facta
Qui male fecit: cedunt hinc sua facta male.

Tempore patitur, ipsius si qd sit laudat, namq
vicinos, talem se habere benevolentem.

Qui sonit in calle multos hinc ille magros
in qst: Saxe:
pampyl:

Nec nimia tardas, nec verba superflua dicas

Suppl. in 4to.
No 37.



G. a. C. 20

Verzeichnis
Amt für Volksbildung
Salzstadt
Prüfungskommission

II 2 a 191.

848 Katedra d. B. B.
Justiz d. B. B.
g. B. B. B. B. B. B.
C. B. B. B. B. B.



S. AGAPETI
PARÆNE-
SES.

SCRIPTÆ AD D. IMPER-
RATOREM IUSTINIANVM, QVI-
bus illum, & quemlibet Magistratum cum Politi-
cum tum Oeconomicum sui admonet officij,
suntq; veluti CATECHESIS omnium
Magistratum, è Græco Lat-
tinè conuersæ,

à

M. IOHANNE PLACÆO.



PRO LEGE ET PRO GREGE.

Vuitebergæ.

1566.

TRAIANVS IMPERATOR
 AD PRÆFECTVM
 curiæ ex collectaneis
 Suidæ.



Δέξαι τὸ ξίφος τὸτο, καὶ εἰ μὲν καλὸς ὑπάρχω ὑπὲρ ἐμοῦ,
 εἰ δὲ μὴ κατ' ἐμὸν χρῆσαι.

*Cape hunc gladium, eoq̄ si fuero bonus,
 pro me, sin minus, contra me utare.*



CLARISSIMO VIRO, NO-
BILITATE GENERIS, SAPIEN-

tia, pietate & virtute præstanti, Domino
MELCHIORI à WELLEN, PRÆ-
fecto in Calba, Domino suo
colendo, S. D.



V M versarer aliquanto
diligentius inlectione Græ-
ci textus horum præce-
ptorum AGAPETI,
quærendum mihi esse vi-
sum est, cur Deus, inter
homines tantam inæqua-
litatem donorum esse vol-
uerit, vt alijs sapientiam,
alijs potentiam, alijs diuitias. & alia dona dederit,
alios verò fecerit indigos aliquarum rerum. Quan-
quam autem vereor, vt rem ita perspicè exponam, *et spiritus*
quemadmodum ipse cogitans sentio: tamen cona-
bor paucissimis, & non obscuris verbis ea pro-
ferre, quæ mihi de hac re cogitanti, in mentem vene-
runt. Quod eo libentius facio, quia iudico verissimum
esse illud Quintiliani: NIHIL NON ORNA-
TE DICITUR, QVOD HONESTE
DICITUR. Est igitur certissimum, hominem
ideo esse conditum, vt sit imago Dei, Deumq; in om-

PRÆFATIO.

nibus representet, sicut & in Sibyllinis versibus dicitur:

Ἐκὼς ἐς ἄνθρωπον ἔμει, λόγον ἐρθὸν ἔχου.

Exemplumq; DEI quisq; est in imagine parua.

Vult Deus intelligi se esse Beneficum & Veracem, & vt hæc intelligi possint, vtq; homo & in his & in alijs rebus sit imago Dei, & esse possit, instituit tantam inæqualitatem donorum in genere humano. Dicamus primùm de sapientibus, & imprudentioribus hominibus.

Vt Deus est sapiens, & suam sapientiam cum homine communicat, ita vult hominem esse sapientem, & suam sapientiam rursus alijs communicare: primùm vt sit imago Dei, & loco Dei beneficiat. Deinde vt Deo gratitudinem exhibeat, postremò vt plura bona à Deo impetret. Nam Deus debita officia quasi non debita maioribus bonis compensat. Quoties igitur sapiens rudiores, aut Doctor discipulum intuetur, sic cogitet, Deus hunc rudiores posset sine me erudire, sed concedit mihi hunc honorem, vt eum loco Dei instituam, & hac in parte sim imago Dei: Itaq; libenter hoc faciam. Deinde scio me debere gratitudinem Deo pro doctrina mihi concessa, eam gratitudinem vult me ostendere erga hunc discipulum, cum ipse Deus nulla mea opera indigeat.

Quare cum sciam me Deo debere, & Deus suum ius appellandi me de debito huic discipulo concesserit, libenter eum erudiam, vt ita Deo pro suis in me
benefic

PRÆFATIO.

beneficijs sim gratus: præsertim cum propter utilitatem sapientum sint insipientes, ut sapientes habeant occasionem exercendi gratitudinem pro bonis acceptis. Nam si omnes essent æquè docti, quomodo possemus Deo similes esse in communicando alijs sapientiam, quomodo item Deo grati esse possemus? Nec dubito, quin omnes fideles Doctores sic sentiant, qui immensos labores in erudiendis hominibus viua voce & scriptis sustinent. Eodem modo dicendum est de diuitibus, & pauperibus, inter quos Deus vult esse inæqualitatem in facultatibus. Sicut Salomon inquit: Diues & pauper simul habitant, Dominus facit utrumq. *Salom.* Quid igitur cogitare debuit Diues ille apud Euangelistam Lucam? Hæc nimirum. Deus posset hunc Lazarum sine mea ope iuuare, sed hunc honorem benefaciendi, mihi relinquit, & propter me sinit egere Lazarum, ut ei sim loco Dei. Deinde debuit & hoc cogitare: Omnia mea bona à Deo habeo, pro quibus ei debeo gratitudinem. Iam video Lazarum quasi cum chirographo Dei venire, in quo scriptum inuenio, Deum non indigere mea gratitudine, sed suum ius donasse Lazaro, ut ille loco Dei à me exigat solutionem debiti. Quare iuuabo Lazarum: ne Deo sim ingratus. Præterea & hoc eum cogitare oportuit, Scio quod sum debitor Dei, sed eo libentius ostendam gratitudinem, quia Deus officia præstita, quæ debebantur, ita accipit, ut merita, eaq; compensat corporalibus & æternis præmijs. Ac ut sum-

Scribam PRÆFATIO.

dicam
matim *dibam*, Deus ubiq; & semper est amans gloriae hominis, eumque vult in terra esse quasi visibilem, & corporalem Deum. Et talis ut homo esse possit, sinit ipse alios alijs rebus egere: ut quisq; se Deum erga egenos præbere possit. Itaq; sapientissime in proverbio dicitur. **HOMO HOMINI DEVS.** Sapiens est Deus insipienti, & cupido doctrinae & consilij, Dives pauperi, Robustus imbecilli, Videns caeco, Sanus aegroto, Fortis timido. Similiter cum Deus omnes homines simul condere potuisset, sicut Angelorum agmen, tamen etiam hac in parte habuit rationem honoris hominis, eumq; voluit esse quasi alterum creatorem, cum ei attribuit vim generationis, ut ex homine homo nasceretur. Sed in nulla re magis conspici potest, quod homo homini sit Deus, quam in illis, quibus Deus suam potentiam tribuit, ut in magnis Principibus, Regibus, & Ducibus, de quibus, ipse Deus in Psalmo inquit. **EGO DIXI, DII ESTIS:** id est, vos sustinetis diuina officia, & diuinum vobis honorem concedo, ut meo loco alijs hominibus beneficiatis:

Sæpe igitur & multum cogitent omnes pij Principes, & Reges, adeoq; omnes Gubernatores, se esse hominibus cæteris Deos in omnibus necessitatibus: quod cum facient, verè erunt imagines Dei, nec suis bonis ipsi tantum fruuntur, sed ea etiam cum alijs communicabunt. Cuiusmodi multas commonefactiones breuiter complexus est **AGAPETVS.**

Quare

PRÆFATIO.

Quare dignum est scriptum, quod notum sit omnibus pijs & bonis Gubernatoribus. Profectò omnino necessarium est, animum multis honestis dictis & sententijs ad virtutem flectere, quod alia ratione fieri non potest, neque enim temerè dixit Isocrates, τὰ μὲν ὕψωματα συμμέτρους πόνοις, ἢ δὲ ψυχὴν ἀποδείξις λόγοις αὐξῆσθαι πέφυκε.

Ac fuit vetus consuetudo à primis patribus accepta, veram sapientiam includere breuibus dictis, & figuratis sententijs, vt & facilius memoria teneri possent, & gratiores essent auditoribus. Quod in Ecclesia apparet in Prouerbijs Salomonis, & in Iesu Siracide, & apud Ethnicos in Phocylide, ac Theognide, Pythagora, Isocrate & Nilo. Quare & nos delectemur lectione, & cogitatione talium sententiarum, quæ grata breuitate mirandam sapientiam continent. Nec dubium est, quin illorum natura virtutis amore capiatur, qui huiusmodi sententijs delectantur, eosq; tales esse consentaneum est. Nam quod de familiaritate, & mutua consuetudine hominum dicitur, Talem esse quemq;, qualium consuetudine gaudet, id rectè & verè etiam ad autorum lectionem accommodari potest. Talis est quisq;, qualium autorum lectione gaudet, præsertim cum verum sit, quod dicitur, **STVDIA ABIRE IN MORES.**

Agrippa gener Augusti Imperatoris, dicere solitus est, se multum debere huic sententiæ Salustij: Concordia res parue crescunt, discordia magnæ dilabuntur.

PRÆFATIO.

labuntur. Ita singuli homines, ac præcipuè Gubernatores, cum legunt vel audiunt aliquam præclaram sententiam, mox cogitent de usu eius sententiæ, & aliquid singulare opus suscipiant, ut postea dicere possint, hanc actionem, vel hoc opus debeo huic sententiæ.

Cum igitur inciderem in lectionem horum præceptorum, & sententiarum *AGAPETI*, quæ & mores ac vitam hominum formant, & prosunt omnibus Gubernatoribus, curavi eas Latine prælo committi, ut pluribus notiores essent.

Quantum autem huius scripti argumentum per se est honestum, pium & utile, sineq; Patrono magnam meretur commendationem, præterea quod & antea Græcus textus tutorem habuit Imperatorem *IVSTINIANVM*, tamen pro veteri & usitato more volui hanc meam qualemcunq; versionem *T. P.* consecrare, cum sciam ipsam magnificare artium & literarum studia, in quibus, teste Platone, grata de Deo fama spargitur, & continetur. Nec dubito quin *T. P.* hoc munusculum placidissime sit susceptura. Quod restat oro Deum, ut *T. P.* clementer aduersus omnia mala protegat ac gubernet, Amen. Anno salutiferi partus 1566.

T. P.

addictiss:

M. Iohannes Placæus.

AGAPETVS
DIACONVS MAG-
NÆ ET SACROSANCTÆ
ECCLESIAE DEI, SCRIPSIT PA-
RÆNETICAS SENTENTIAS
ADD. IMPERATOREM IVSTI-
NIANVM, CVIVS TEMPORE
VIXIT, QVOD SCRIPTVM
GRÆCI REGIAM SCHEDAM
APPELLANT, PVLCHERRI-
ME ENIM IN HIS SENTEN-
TIIS DISSERIT DE REGIS ET
CVIVSLIBET MAGISTRA-
TVS OFFICIO. AN AVTEM IL-
LA PARÆNESIS CONSCRI-
PTA SIT, ANTEQVAM ROMÆ
PONTIFICATVM, ADIPISCE-
RETVR, AN AB ALIQVO
CONSTANTINOPOLITANÆ
ECCLESIAE MINISTRO, A-
LIIS IVDICANDVM
RELINQVI-
TVR.

B EXPO

EXPOSITIO
CAPITVM ADHORTA-
TIONIS, CONSCRIPTA OBITER
ab AGAPETO, Diacono sanctissimæ Dei Ma-
gnæ Ecclesiæ, ad Imperatorem IVSTINIA-
NUM quorum superscriptio sic se quo-
dammodo habet.

Diuo, & pio Imperatorino-
STRO IVSTINIANO, A-
GAPETVS MINIMVS DIA-
conus Salutem dicit.

I.



Vm dignitatẽ
habeas Impe-
rator omniũ
honorum su-
premam; ho-
noras supra omnes DEVM,
qui te isto honore dignatus
est; propterea quod & ad si-
mili-

AGAPETI PARÆNE.

militudinem regni cœlestis,
dederit tibi sceptrum terre-
næ potestatis: idq̃ ideo, ut
homines doceres iusticiam
seruare, & eorum latratum
persequeris, qui contra eũ
sunt rabiosi: atque ita & gu-
bernaris à legibus *DEI*, &
gubernas subditos tuos legi-
timè.

II.

MENS Imperatoris oculatis-
sima peruigilat, uelut gu-
bernator, tenens securè æqui-
tatis clauos, & depellens for-
titer iniquitatis fluctus, ne

B ñ nauis

navis totius mundanæ poli-
tiæ obruatur fluctibus iniu-
sticiæ.

III.

Divinam & primã doctri-
nam nos homines doce-
mur, ut quis seipsum cogno-
scat. Qui enim seipsum co-
gnoscit, cognoscet *DEVM*,
Qui *DEVM* cognoscit, si-
milis *DEO* reddetur. Simi-
lis fiet *DEO*, qui factus est di-
gnus *DEO*. Dignus fit *DEO*,
qui nihil indignũ *DEO* com-
mittit; sed sentit quæ eius
sunt, & loquitur quæ sentit,
& fa-

PARÆNESES.

& facit quæ loquitur.

III.

PROPTER maiorũ nobilitatem nemo gloriatur: Omnes enim lutũ habent pro primo autore generis, & illi qui in purpura & bysso sibi placent: & illi qui paupertate & morbo uexantur, & illi qui diadematis redimiuntur, & illi qui ante domos (horum propter stipem) iacent. Ne igitur propter lutuum genus gloriemur, sed potius propter morum probitatem nos ostentemus.

B in Scito

AGAPETI

V.

SCito qui es simulachrum
pietatis diuinitus factum,
te tanto maioris gratitudinis
esse debitorem **DEO**, quan-
to maioribus beneficijs ab eo
dignus es habitus. Itaq; red-
de benefactori debitum gra-
tiarum actionis, qui debitũ
acceptat ut beneficium, &
gratuitum beneficium pro
beneficio rependit. Ipse .n.
semper prius incipit benefa-
cere, & quasi debitum bene-
ficia reddit. Gratiarũ actio-
nem quærit à nobis non illã,
quæ

PARÆNESES.

quæ est prolatio per bona
uerba; sed illã, quæ est pro-
uentus per pia opera.

VI.

Nihil ita laudabilem efficit
hominẽ, quàm posse ea,
quæ uelit, præstare, semper
autem & uelle & efficere il-
la, quibus de hominibus be-
ne merentur. Postq̃ igitur
à DEO tibi donata est po-
tentia, qua propter nos tua
bona uoluntas indigebat, ea
omnia et uelis et agas, ut pro-
batur ei, qui tibi hanc po-
tentiam dedit,

Mo-

AGAPETI

VII.

Momentaneæ diuitiæ rerum terrestrium fluuiialium undarum cursum imitantur, exiguo enim tempore ñs affluunt, qui eas se habere putant: paulò autẽ post ad alios accedunt. Solus autem beneficentiæ thesaurus perpetuus est apud eos, qui eam adepti sunt. Nam beneficentiæ gratiæ ad benefactores reuertuntur.

VIII.

Difficilis es accessu hominibus propter amplitudinem
dinem

PARÆNESES.

dinem terreni regni: facilis
uerò aditu redderis indigen-
tibus, propter potentiam su-
premi regni. Et aperis aures
ñs, qui à paupertate obsiden-
tur, ut inuenias aurem **DEI**
apertã. Quales enim fueri-
mus erga cõseruos nostros,
talem erga nos inueniemus
Dominum.

IX.

Solicitem Regis animum,
speculi instar abstergi o-
portet, ut diuinis splendori-
bus semper irradietur, & re-
rum iudicia hinc doceatur.

C Nihil

AGAPETI

Nihil enim est, quòd ita nos
faciat officia uidere, quàm
animum perpetuò cōserua-
re purum.

X.

Sicut fit apud nauigantes
cum nauta labitur, paruū
damnum adfert socijs nauig-
ationis: Gubernator uerò
si lapsus fuerit, efficit totius
nauis exitium. Ita & in rebus
publicis, si quis ex subditis
peccauerit, non tantū Rem-
publicam, quantum seipsum
lædit. Sin uerò ipse Princeps
peccauerit, toti Reipublicæ
dam-

PARÆNESES.

damnum affert. Quamobrẽ
quasi accuratam rationem
redditurus, si qua necessaria
neglexerit, cum omni cura,
omnia & dicat & faciat.

XI.

Circuli in modum res hu-
manæ per uices recur-
runt: iuxta quem aliàs aliter
fertur & circumfertur. Atq;
in his inæqualitas est, eò quod
nihil ex rebus præsentibus in
eodem statu permanet. O-
portet igitur te potentissime
Imperator in harum muta-
tione momentanea habere

C ñ piam

AGAPETI

piam considerationem im-
mutabiliter.

XII.

adulato-
res su-
gendi.

A Versare adulatorū frau-
dulentos sermones, sicut
coruorum rapaces mores.
Hi enim corporis oculos ef-
fodiunt, illi uerò animæ con-
silia hebetant, cum non fi-
nant nos rerū ueritatem ui-
dere. Aut enim laudant in-
terdum, quæ sunt digna re-
prehensione, aut reprehen-
dunt sæpe ea quæ meliora
sunt, quàm ut satis laudari
possint, ut ex duobus alteru-
trum

PARÆNESES,

trum committant, uel malū
laudantes, uel honestum ui-
tuperantes.

XIII.

ANimum Imperatoris o-
portet semper esse con-
stantem. Nam unā mutari
cum rerum mutationibus,
est signū mentis inconstan-
tis. Quod si quis firmiter ho-
nestati inhereat: sicut uestrū
pium imperium fundatum
est: nec ad arrogantiam ef-
feratur, nec ad desperatio-
nem deprimatur, illud est
eorum, qui secure incedunt,

C in & a-

AGAPETI

& animum habent immo-
bilem,

XIII.

Siquis habet cogitationem
puram ab humana dece-
ptione, uidetq; uilitatē suæ
naturæ, & breuitatem, & su-
bitam mortem huius uitæ,
& sordes carni coniunctas,
ille non incidet in superbix
præcipitium, etiam si in ex-
celsa dignitate sit constitu-
tus.

XV.

SVpra omnia regni orna-
menta, corona pietatis
Re-

PARÆNESES.

Regem ornat. Diuitiæ enim
abeunt, et gloria transit. Glo-
ria uerò diuinæ gubernatio-
nis cum infinitis sæculis ex-
tenditur, eosq; qui partici-
pes sunt ueræ gloriæ ultra
obliuionem collocat.

XVI.

Longè absurdissimū mihi
uidetur esse, quod diuites
& pauperes ex dissimilibus
rebus damnum simile accipi-
unt. Hi enim præ facietate
perrumpuntur, illi uerò præ
fame pereunt, Præterea hi
mundi terminos occupant,
illi

AGAPETI

illi non possunt alicubi sistere pedum uestigia. Vt igitur utriq; sanitatis participes fiant, auferendo, & addendo sunt curandi, & ad æqualitatem reducenda est inæqualitas.

XVII.

Plato. NOSTRIS temporibus optimum uiuendi tempus demonstrari potest, quod quidam ex ueteribus fore prædixit, cum aut Philosophi regnabunt, aut Reges Philosophabuntur. Etenim philosophantes digni habiti estis imperio,

PARÆNESES.

perio, & imperium adepti
nō defecistis à Philosophia.
Nam si amor sapientiæ effi-
cit sapientiam. Principium
autem sapientiæ DE I est ti- *Prouer.*
mor, quem in pectoribus ue- *cap. 1.*
stris semper habetis, manife-
stum est quod uerum sit il-
lud, quod à me dicitur.

XVIII.

REgem te uerè esse decer-
no, ut qui imperare &
dominari uoluptatibus pos-
sis, & corona temperantiæ
cingaris, & purpura iusticiæ
sis indutus. Nam alia pote-
D stas

AGAPETI

stas habet mortē succeden-
tem, Eiusmodi uerò regnum
immortalem conseruat sta-
bilitatem. Et hæc quidem in
hoc mundo aboletur, illa ue-
rò ab æterna poena libera-
tur.

XIX.

SI uis frui omnium hono-
re, sis omnibus communis
benefactor. Nihil enim ita
ad beneuolentiã rapit, quàm
beneficij gratia quæ in egen-
tes confertur. Nam cultus
ob metum factus est figura-
ta adulatio, ficti honoris no-
mine

PARÆNESES.

mine dementans eos, qui ei
auscultant.

XX.

Meritò uestrum regnum
uenerandũ est, quia ho-
stibus ostendit potentiam,
subditis uerò exhibet hu-
manitatem; illosq; cum uin-
cit robore armorũ, dilectio-
ne inermi uincitur à suis.
Quantum enim discriminis
est inter feram, & ouem, tan-
tam etiam differentiã inter
illos esse putatur.

XXI.

Es sentia corporis omnibus
D ñ homi-

2. AGAPETI

hominibus similis est Rex:
potentia uerò dignitatis si-
milis est DEO, qui est super
omnia. Non enim habet Rex
in terra se sublimiorẽ. Opor-
tet igitur eum ut DEVM nõ
irasci, & ut hominẽ non ef-
ferri: Etsi enim diuina ima-
gine honoratus est: tamen
etiam terreno puluere est
complicatus: per quem edo-
cetur æqualitatem, quam
cum omnibus habet.

XXII.

Admitte eos, qui bona uo-
lunt consulere, non autẽ
eos,

PARÆNESES,

eos, qui frequenter adulari student. Hi enim utilitatem in ueritate considerant: illi uerò respiciunt ad ea, quæ potentibus arrident, & corporum umbris similes assentiuntur dictis potentum.

XXIII.

Talis sis erga tuos ministros, qualem tibi Dominum optares esse. Vt enim audimus, sic audiemur, & ut uidemus, sic uidebimur à diuino conspectu, qui in omnia inspicit. Prius igitur per misericordiam, misericordi-

D iñ am

AGAPETI

am conferamus, ut par pari
reportemus.

XXIII.

VT clarissima specula ta-
les faciei monstrāt appa-
rentias, qualia sunt archety-
pa, lætas lætantium, tristes
uerò tristantium; sic & iu-
stum DE Iudicium nostris
actionibus assimulatur. Nã
qualia sunt nostra facta, talia
nobis exhibet ex similibus.

XXV.

TArdè delibera de ñs quæ
agenda sunt; quæ uerò
decreuisti perfice studiosè.

Nam

PARÆNESES.

Nam temeritas in rebus agendis, est ualde lubrica. Si quis enim cōsiderauerit mala temeritatis, is rectè intelliget commoda boni consilij: ut & sanitatis gratiam post morbi experientiam. Oportet igitur prudentissime rex & consilio sapientiore, & precatione ardentiore accurate inuestigare ea, quæ mundo conducent.

XXVI.

Optimè administrabis tuum bonum regnum, si omnia studueris inspicere, nec
finas

AGAPETI

sinas te quicquam negligere.
Non enim paruum est illud
in te, quod cum alijs tuis bo-
nis collatũ uidetur esse par-
uum. Quoniam & uerbum
Regis exile magnam uim ha-
bet apud omnes.

XXVII.

IMpone tibi ipsi necessitatẽ
seruandi leges, ut qui non
habes in terra aliquẽ, qui te
cogat. Sic enim & legum re-
uerentiã monstrabis alijs, cũ
ipse ante alios eas uenereris,
& subditis præuaricatio nõ
uidebitur carere periculo.

Non

PARÆNESES.

XXVIII

Non prohibere delinquētes, æstima æquale esse delicto. Etsi enim quis uixerit legitimè, ferat autem eos qui sceleratè uiuunt, is iudicatur apud *DEVM* socius malorum. Si autem uis dupliciter benè audire, eos qui optima agunt, honora, eos uerò, qui pessima agunt, punito.

XXIX.

Admodum conducere arbitror, ut fugias malorū societates. Qui enim perpe-

E tuò

AGAPETI

tuò conuersatur cum malis hominibus, eum necesse est aliquid mali aut discere aut pati. Qui uerò cum bonis consuetudinem habet, is aut imitationem honestorum edocetur, aut minuere uitia discit.

XXX.

CVm mundanum regnũ à **DEO** tibi fit cõcreditum, nullis malis utere in rerũ administratione. Nam quæ illi malè agent, illorũ rationem **DEO** reddet is, qui illis eam potestatem dedit. Cum magna

PARÆNESES.

gna igitur inquisitione eorū
designationes fiant.

XXXI.

AEqualia iudico esse ma-
la, excandescere propter
inimicorum iniurias & de-
mulceri propter amicorum
adulationes, utrisq; enim te
fortiter oportet resistere, &
à decoro nequaquam disce-
dere, ita ut neq; illorum stul-
tum odium ulciscaris, nec
horum fictam beneuolenti-
am beneficio compenses.

XXXII.

DVc hos esse amicos ueris
E ñ simos,

AGAPETI

fimos, nō eos qui omnia laudant, quæ à te dicuntur, sed eos qui iusto iudicio omnia agere student: & tibi congratulentur in honestis, condolent autem in contrarijs. Hi enim uerè ostendunt purissimæ amicitiaæ argumentum.

XXXIII.

Non mutet magnitudinē animi tui fastus terrenæ potentiaæ, sed ut administrās regimen fato obnoxium, animum tene immutabilem in rebus mutabilibus, ut neque
in re-

AGAPETI

in rebus secundis efferaris,
neq; in rebus aduersis deprimaris.

XXXIII.

VT aurum aliâs aliter ab
arte insignitum, & ad uarias ornamentorũ species reductũ, permanet quod est, nec mutationẽ sustinet: Sic & ipse quoq; Rex laudatissime, quanquam alium ex alio principatum sis adeptus, & tandem ad summum honorem perueneris, tamen idem permanes in rebus non eisdem, immutabilem habens

E in in

AGAPETI

in honestate animum.

XXXV.

TVnc te existima secure
regnare, si uolentibus ho-
minibus imperaueris. Nam
quod inuitum regitur, occa-
sionem nactum mouet sedi-
tionem. Quod uerò tenetur
legibus beneuolentiæ, illud
habet firmã ad regimen obe-
dientiam.

XXXVI.

VT potentiã imperij tui il-
lustrem reddas, quantam
in subditos delinquentes ha-
bes iram, tantam quoq; in te-
ipsum

PARÆNESES,

ipsum peccatum habere uelis. Nemo enim potest tam potentem castigare, nisi propria consideratio ex ipso delinquente procedens.

XXXVII.

Qui magnam potestatem est adeptus, is datorē potestatis pro uirili imitetur. Si enim quodammodo imaginem gerit summi *DEI*, per eumq; tenet summum imperium, certè in hoc maximè *DEVM* imitabitur, ut nihil putet misericordia esse melius.

Non

AGAPETI

XX. XVIII.

NOn ita aurum & lapidē
preciosum, quàm bene-
uolentiæ opulentiam nobis
tanquam thesaurum com-
paremus. Nam talis opulen-
tia & in hac uita delectat nos
spe futuræ fruitionis, & in al-
tera uita nobis dulcedinem
affert ipso sensu speratæ bea-
titudinis. Quæ nunc sunt cir-
ca nos, non delectent nos, ut
quæ nihil ad nos pertineant.

XXIX.

STude splendidioribus mu-
nerib. eos remunerari, qui
bene-



PARÆNESES.

beneuolo animo tua man-
data fecerint. Hoc enim mo-
do & bonorum augebis stu-
dium, & malos docebis de-
discere malitiã. Nam ñsdem
dignos iudicare eos, qui nõ
eadem faciunt, prorfus ne-
fas fuerit.

XL.

REgnum est res omnium
preciosissima: Est autem
tunc maximè tale, cum ille,
qui potestate præditus est,
non ad pertinaciam decli-
net, sed ad æquitatem respi-
ciat, inhumanitatem tanq̃
F ferita-

AGAPETI

feritatem auersans, humani-
tatem uerò, tanquam simili-
tudinem cum DEO exhi-
bens.

XLI.

AEqualiter iudica & ami-
cos & inimicos, neq; be-
neuolis gratificans propter
beneuolentiam, neq; male-
uolis resistens propter odiũ.
Etenim eiusdem est absurdi-
tatis, & iustum pronunciare
eum, qui est iniustus, etiamsi
amicus fuerit, & damnare
iustum, etiamsi inimicus sit.
Malum enim quod in utrif-
que

PARÆNESES.

que est, simile est, etiamsi in
contrarijs inueniatur.

XLII.

CAusarum iudices oportet
attenta mente audire.
Difficilis enim inuestigatu
est iusticiæ inuentio, facile
effugiens eos, qui nõ admo
dum attendunt. Quod si re
lictæ eloquentia eorum, qui
dicunt, & omiſſa probabili
tate eorum, quæ dicuntur,
seipſos in profunditatem cog
itationum coniecerint, sic
elicient, quod ab ipsis quæri
tur, & duplex peccatum ef

F ñ fugi

AGAPETI

fugient, ut neq; ipsi honesta-
tem prodant, neq; alijs id fa-
cere permittant.

XLIII.

ET si tam multa rectè facta
possideas, quot sunt stel-
læ, tamen nunquam uinces
DEI bonitatem. Quæcun-
que enim homo ex suis **DEO**
obtulerit, ea sunt ipsius **DEI**.
Ac sicut non licet suã in So-
le umbram transilire, quæ
semper etiam eum anteuer-
tit, qui ualde properat, Ita
nec **DEI** bonitatem insupe-
rabilem suis beneficijs homi-
nes uincant. Be-

PARÆNESES.

XLIII.

Beneficentia opes sumptibus exauriri nō possunt. Nam in dando accipitur, & in dispergendo colligitur. Has cum in tuo animo habeas liberalissime Imperator, affatim da omnibus à te petentibus, infinitas enim compensationes pro illis habebis, cum uenerit tempus retributionis operum.

XLV.

Cum nutu *DEI* regnū sis adeptus, imitare eum per opera bona, eo quod factus

F iñ sis

AGAPETI

sis ex numero eorū, qui pos-
sunt benefacere, non eorum,
qui indigent beneficijs. Nam
parata rerum copia, nō po-
test impediri, in benefacien-
do pauperibus.

XLVI.

VT oculus innatus est cor-
pori, Ita Rex mundo ad-
aptatus est, à DEO datus ad
auxilium rerum utilium. O-
portet igitur Regem ut pro-
prijs membris, ita omnibus
hominibus prospicere, ut
proficiant in rebus honestis,
nec offendant in malis.

Tu-

Quo multi timet, multos timere.

PARÆNESES.

XLVII.

TVtissimam duc salutis est
se custodiam, neminem
ex subditis iniuria afficere.
Nam qui neminem iniuria
afficit, non habet quenq̄ sus-
pectum. Si uerò securitatem
conciliat, neminē iniuria af-
ficere, præstabit hoc multò
magis benefacere. Nam be-
neficentia securitatem præ-
stat, & amicitiam non pro-
dit.

*Iniuria h
iniuria*

XLVIII.

Sis subditis Rex pientissime
& formidabilis propter

ex

AGAPETI

excellentiã potentiæ, & carus propter exhibitionẽ beneficentiæ, ut nec metũ negligas propter amorem, nec amorem cõtemnas propter metum: Sed familiaritatem præ te ferens eam, quæ non pariat tibi contemptum, & quod per se contemptũ conciliare solet, habens temperatum cum moderata seueritate.

XLIX.

QVæ subditis præscribis per uerba, hæc anteuertens demonstrasti per facta: ut uer-

PARÆNESES.

ut uerbis, quibus persuades,
etiã uita bona opera ferat. Ita
.n. tuum imperiũ efficies be-
ne audire, si & dicas quæ a-
agas, & agas quæ dicas.

L.

MAgis ama Rex illustrissi-
me eos, qui à te beneficia
accipere supplicant, quã
eos, qui tibi dona afferre stu-
dent. His enim debitor com-
pensationis efficeris, illi uerò
DEVM tibi debitorem faci-
unt, qui sibi uendicat, quæ
ipsis præstita sunt, quiq; bo-
nis retributionibus tuũ piũ

G & hu-

AGAPETI

& humanum propositum
compenfat.

LI.

Solis officium est radijs il-
lustrare creaturam, Regis
uerò uirtus est misereri ino-
pium. Ac Sole quidem cla-
rior est pius Rex. Nam Sol
cedit nocti succedenti, Rex
uerò nõ cedit rapacitati im-
proborũ, sed luce ueritatis
ostendit occulta iniusticiæ.

LII.

REges antecedentes impe-
rium ornauit: tu uerò
imperium illustrius fecisti,
man-

PARÆNESES.

mansuetudine temperans potentia fastum, & bonitate uincens timorem te antecedentium. Vnde ad portum serenitatis tuæ applicant omnes indigi misericordiæ, & à fluctibus paupertatis liberati hymnos gratitudinis remittunt.

LIII.

Quantum potentia omnibus antecellis, tantum factis elucescere stude, crede à te posci eam affectione honestatis, quæ magnitudini potentia tuæ respondeat, ut

G ñ igitur

AGAPETI

igitur à DEO renunciaveris, cū
corona inuicti regni com-
para tibi coronā beneficen-
tiæ erga pauperes.

LIII.

CONsidera priusq̃ manda-
ueris quæ uelis, ut pru-
denter ordines quæ fas est.
Nam organū linguæ est ual-
de lubricum, & maximū pe-
riculum negligentibus af-
fert. Quod si orationi piam
considerationem tanquam
Musicam adhibueris, cane-
tur uirtutis carmen prorsus
harmonix congruens.

In

PARÆNESES.

LV.

IN omnibus Regem acutū esse oportet, maximè autē in iudicijs difficilium negotiorum; ad iram uerò ualdè tardum uideri. Nam quoniam qui prorsus nihil irascitur, contemnitur, irascatur Rex modicè, & non irascatur, partim ut malorum impetus reprimat, partim ut bonorum rationes inuestiget.

LVI.

IN accurata deliberatione cordis tui diligenter considera

G iñ dera

AGAPETI

dera mores eorum qui tecū
cōuerfantur, ut exquisitè in-
telligas, qui nam amanter te
colant, & qui fraudulentè
tibi adulentur. Multi enim
beneuolentiam simulantes,
multūm credentibus nocu-
erunt.

LVII.

CVm audieris orationem
quæ prodesse possit, eam
non solum auditu, sed etiam
agendo excipe. Nam Regis
potentia ita inclarescit, cum
aut per se necessaria uiderit,
aut per alios inuenta, nequa-
quam

PARÆNESES.

quam contempserit, sed sine pudore didicerit, & sine mora perfecerit.

LVIII.

ARX firmissimis muris munita obsidentes hostes contemnit. Vestrum uerò piū regnum eleemosynis munitum, & turribus precum confirmatum, est inuictum hostium telis, & contra eos illustria & præclara erigit trophæa.

LIX.

VTere decore regno terreno, ut illud tibi scala sit
supe

AGAPETI

superioris gloriæ. Nam qui hoc præclarè administrant, cum hoc regno etiam superiore gloria digni iudicantur. Administrant autè hoc rectè ñ, qui subditis paternũ exhibent amorem, & ab eis recipiunt timorem Principe dignũ, ut minis lapsus compescant, poenarum uerò sensum non adhibeant.

LX.

VEstis non ueterascens est
beneficentię amictus. Est
que incorruptibilis stola be-
neuolentia erga pauperes.
Opor=

PARÆNESES.

Oportet igitur eū, qui uult
piè regnare, huiusmodi in-
dumentis animam exornare.
Nam Rex indutus purpura
beneficentiæ erga pauperes,
etiam cœlesti regno dignus
iudicatur.

LXI.

CVm sceptrū regni à DEO
acceperis, uide ut ei pla-
ceas, qui tibi hoc regnū tra-
didit, atq; ut ab eo prælatus
es omnibus hominibus, ita
omniū maximè festina eum
honorare. Iudicat autē hunc
honorem maximum, si ho-

H mi-

AGAPETI

mines à se formatos ita aspicias, quasi *DEVM*, & beneficentiam quasi debiti solutionem exerceas.

LXII.

REcurrere ad supernum auxiliũ omnes homines debent, qui salute indigent, maximè uerò Rex, ut qui omnium curam gerit. Rex enim cum à *DEO* custoditur, & hostes fortiter debellat, & suos diligenter munit.

LXIII.

DEus nulla re indiget, Rex uerò solo *DEO*. Quare
imi-

PARÆNESES.

imitare eum, qui nulla re indiget, & largire misericordiam petentibus, nec accuratam rationem à tuis famulis reposcas, sed omnibus exhibeas petitiones ad uiuendum necessarias. Multò enim melius est, propter dignos misereri etiam eorū qui sunt indigni, quàm propter indignos eos defraudare qui sunt digni.

LXIII.

CVm ueniam delictorum tuorum petas, ignosce etiam ñs, qui in te delinquunt. Quia remissioni redditur

H ñ re=

AGAPETI

remissio, & reconciliationi
cū conseruis, *DEI* amicitia, &
consuetudo.

LXV.

QVi sine reprehensione
studet regnare, eū oportet,
& aliorum infamiam ca-
uere, & præ illis seipsum ue-
reri, & à manifesto peccato
propter illos absteineat, & à
priuato peccato à se ipso
prohibeatur. Si enim subdi-
ti reuerentia digni uidentur,
multò magis Rex ipse sibi
dignus reuerentia iudice-
tur.

Pri-

PARÆNESES.

LXVI.

PRiuati uitium esse dico,
facere mala, & supplicio
digna, Principis uerò maliti-
am esse, non facere honesta
& saluti necessaria. Non e-
nim abstinentia malorū iu-
stum efficit potentem, sed
honestorum actio coronat
eundem. Non solum igitur
à malitia abstinere cogitet,
sed etiam iusticiæ curam su-
scipere studeat.

LXVII.

DIGNitatum splendores
mors non formidat. O-

H in mni-

MAGAPETI

mnibus .n. suos edaces dentes infligit. Itaq̃ ante illius aduentum indeprecabilem, transferamus in coelum bonorum nostrorum copiam. Nemo enim ea, quæ in mundo colligit, illuc abducit cū hinc discedit, sed omnia relinquens in terra, nudus rationem uitæ suæ reddit.

LXVIII.

Est quidem Rex Dominus omnium, sed tamen *DEI* est seruus cū omnibus. Tunc autē maximè uocabitur Dominus, cum sibi ipse dominabitur.

PARÆNESES.

nabitur, & absurdis uoluptatibus non seruiet, sed pia cōsideratione socia, quæ est inuicta gubernatrix cæcorum affectuum, pugnaces cupiditates Panoplia castitatis expugnat.

LXIX.

VT umbræ corpora sequuntur, ita peccata animas imitantur, euidenter actiones effingentia. Propterea in iudicio non licet negare. Ipsæ enim res contra quemq; testabuntur, nō uocem remittentes, sed huiusmodi

AGAPE TI

modi apparentes, quales à nobis sunt factæ.

LXX.

TRansitum nauis per mare incedētis imitatur breuis uitæ præsentis conditio, quæ nos suos uectores latet, & exiguo tempore cursum protrahit, & tandē ad propriū finem uniuscunq; mittit. Si igitur hæc sic se habent, prætercurramus res mundi occurrantes & accurramus ñs quæ in sæcula sæculorū permanent.

LXXI.

Fastuoꝝ

AGAPETI

Fastuosus & superciliosus
homo non efferatur, ut
cornibus minax taurus, sed
cogitet carnis substantiã, &
compescat cordis elationẽ.
Etsi enim factus est Princeps
super terram, non ignoret,
cum sit ex terra, se à pul-
uere ad thronum ascendere,
atque in eundem tandẽ des-
cendere.

LXXII.

Studeas semper Rex inui-
ctissime. Ac sicut hi qui
scalas scandere incipiunt, nõ
prius desistunt à scandendo,
I quàm

AGAPETI

quàm ad summum gradum
peruenerint. Ita & ipse sis af-
fiduus in scansione rerũ ho-
nestarum, donec & supre-
mo regno fruaris, quod tibi
cum tua coniuge præbeat
CHRISTVS Rex Regum,
& Regendorum in sæ-
cula sæculorum,
AMEN.

FINIS.



Agust.

Seco primis ppta 21. c.
Non licet aliter de divinis scripturis
sapere, qua b. apostoli, et patris nri
didicerunt, atq; docuerunt.



Dilige latrones, fuge Christu, dicitur falsum,
Inustos occide, fraude Cole, Vera recusa,
Occidas patre, Sperne Matre, fuge Christu,
Furem Conserua, Crimen Lauda, Mala quere.
Dilige Luxuria, Vitium Cole, destrue Sanctos,
Iusticia fuge, Sperne Deu, Sathana reuerere.

AD

Non gladius Martis furores lot p[er] totum p[er]di
Ora q[ue] passis Bacchus amoviss[im]e morat.

Qui satius est plura laudat isinua vetero
Et quo milles p[er]mit sine o[mn]i scelerib[us] aff[er]it.

Sed perijt veterum virtus pietasq[ue] fidesq[ue]
Usq[ue] adeo totum regnat ubiq[ue] seculus.

4A $\frac{22}{h, 1}$ X 2006322

progenies humores p[er]it pullos mortis

Sic asinus quondam asinum soris aspera fuit
Cui planks sorrem foret sor, ille sapit.
O.S. 207.

Et si quis asinis attribuendy bonos
de: b[er]it d

Sic asinus quondam asinum soris aspera pegasarij cursoris
post bottem.
Ea asinus in d[omi]no p[er] a comitum app[er]it d[omi]no.







S. AGAPETI
PARÆNE-
SES.

SCRIPTÆ AD D. IMPER-
RATOREM IUSTINIANVM, QUI-
bus illum, & quemlibet Magistratum cum Politi-
cum tum Oeconomicum sui admonet officij,
suntq; veluti CATECHESIS omnium
Magistratum, è Græco Lat-
tinè conuersæ,

à

M. IOHANNE PLACÆO.



PRO LEGE ET PRO REGE.

Vuitebergæ.

1566.